



Rhinolandiaë Amstelandiaë et circumjacent. aliquot territoriû accurata descriptio

Kaart van het centrale deel van Holland, Marcus Zuerius Boxhorn, 1632

<https://hdl.handle.net/1874/20432>



**RHINOLANDIÆ
AMSTELANDIÆ**
et circumjacent.
aliquot territoriorū.
accurata descriptio.
Auctore
Balth. Florentio a Berckenrode.
Amstelodami
Sumptibus Henrici Hondij.
Anno 1632.

Milliare Germanicum commune

hodie aliquot Comitum Litteræ, quæ apud *Albertsberch* datæ sunt. Sententia tamen eorum, qui *Kinheimariâ*, à *Kinna* fluvio interlabente denominatam volunt, non est rejicienda. *Kenemarij* autè isti sunt veterum *Caninefates*; à loci natura quasi *Caninefaters*, id est cuniculorū helluones, ex sententia *Iunij*, ita dicti. Nec alienum videri debet à re tam levicula Regiones denominari, cum *Gallia* olim ab incolarum cultu in *Comatam*, *Braccatam* & *Togatam* fuerit distincta. Nisi magis vero simile sit, *Caninefates*, ab eodem fluvio, *Kinna* vel *Canna* dicto, denominari. *Cannanofates* appellantur in illustri inscriptione antiqua, quæ reperta apud *Vulfinios*, exstat pag. ccc lxxxv, Operis *Gruteriani*:

L. CANNVLEIVS.

IN. ITALIA. VOLSINENSIVM. PATRIÆ. SVÆ. ITEM. FERENT. ET. TIBVRTIVM. ITEM. COLON. ITALICENSIS. IN. PROV. BÆTICA. PRÆT. ETRVR. XV POPVLORVM. SACERDOTI. CÆNINENSIVM. M. HELVIVS / M. F. CLEMENS. ARNENSI. DOMO CARTAGINE. PRÆF. EQ. AL. PRIMÆ.

CANNANEFATVM
PRÆSIDI.

SANCTISSIMO. ET. RARISSIMO.
CVRAM. AGENTE. L. ACONIO. CAL-
LISTO. TRIB. MIL. LEG.
XIIII. GEN. SEV.

Caninefates & *Kinheimarios* eosdem esse, disertim docet author anonymus in hæc verba; *Caninefates sunt modo Kenemarij*, à *Kinna* fluvio sic dicti, qui labitur apud *Alcmariam* infra castra *Nuburch* & *Meddeburch*, dividens *Hollandiam* à *Frisia*. Est autem *Kenemaria Aquinolaris* *Hollandia*, habens oppida *Harlemum*, *Beverwium* & *Alcmariam*. Sed repugnat huic nostræ de *Caninefatis* sententiæ *Petrus Divæus*, usus auctoritate *Taciti*, qui lib. *Annal.* 2. *Cl. Labeonem* *Batavum*, *Cl. Civilis æmulum*, ejus metu apud *Batauos* nil ausum, tumultuaria *Nerviorum*, *Tungtorum*, ac *Bethasiorum* manu *Caninefates* ac *Marsacos* infestasse scribit. Ex quo colligit necesse fuisse *Labeonem* hunc, cum copijs, trajecisse *Mosam*, *Lingam*, *Leccam*, *Rhenum*, tum præcipuam *Bataviæ* latitudinem, ferocioreſque ejus populos esse emensum, antequam ad hos *Iunij* *Caninefates* potuerit pervenire. Sed *Iunius* respondet hanc irruptionem *Labeoni* factu facilem fuisse. Primo quidem, quia prædatorijs veluti copijs *Caninefates* infestavit, quod clare loquuntur hæc *Scriptoris* verba, *Et furim magis,*